

circa sensum Capitulorum *in se*, et non tantum *Judicatum* illa damnasse *in sensu composito*, sumpta videlicet cum erroribus, injuriis, etc., dum *Constitutum* illa à damnatione eximit *in sensu diviso*, seclusis nempe erroribus, injuriis, etc., quæ separatim et explicitè condemnat (1), eò quòd ita egisse Concilium Chalcedonense Vigilius falsà relatione delusus sibi persuaserat. Re autem compertà, et damnatione aliunde jam à Patribus C. P. per artificium Justiniani Imp. extortà, ipse tandem illa simpliciter et in sensu composito damnavit. — Utrum cæteroquin illa agenditatio de levitate aliquà culpanda sit nec ne, non prorsus consentiunt auctores, nec nostrum est definire.

3º Honorius certè hujusmodi culpà graviter notandus est, quippe quem ideo à Concilio gen. VI et Pontificibus romanis anathemate post mortem per plura sæcula renovato plecti videmus. Attamen difficultatis inde emotæ plana profectò solutio est (2). Duæ enim Epistolæ quas, ut postea cognitum est, Honorius papa, a. 638 defunctus, scripserat, quatuor ante mortem annos, unam quidem ad Sergium C. P. patriarcham, alteram verò item ad Sergium simulque ad Cyrum Alex. et Sophronium Hierosol., nullo certè titulo pro definitionibus haberi possunt; nempe — 1 — nec *formã*, siquidem nequaquam in synodo romana, juxta ritum tunc pro signo necessario habitum (V. suprâ, p. 164, not. 2), emissæ fuerant (3); nec — 2 — *destinatione*, siquidem adeò parùm ad Ecclesiam universam erant referendæ, ut

(1) Ita certè satis ex se documenta ostendunt pro scriptis Theodori et Theodoret; imò quoad ipsam Epistolam Ithæ, circa quam præcipuè difficultas movetur, V. auctores qui de his scripserunt, uti Muzzarelli: *De auctorit. R. Pont.*, t. II, p. 164; — Palma: *Præl. hist.*, t. II, p. I, c. VII; — Wouters: *Dissert. sel.*, t. II, diss. XXXIX; p. 305, 306; — *Etudes des P. Jésuites*, oct. 1869, p. 640; janv. 1870, p. 106; — D. Guéranger: *Monarchie pontif.*, p. 111; — ac demùm recentius et fusiùs DD. de la Tour d'Anvergne: *La Tradition sur l'Infaill. Pont.* T. II, ch. XXVI; — itemque R. P. Bottalla: *La souv. et infaill. autor. du Pape*, T. I, p. 310-328.

(2) In hanc quæstionem nuperrimis temporibus adeò agitatam, V. præ cæteris A. P. Colombier, ap. *Etudes des P. Jésuites*, à mense decembri 1869 ad april. 1870; — itemque auctores modò cit.

(3) V. Muzzarelli, op. cit., p. 185; — Thomassin.: *Dissert. in Conc.*, diss. XX.

prima nonnisi duobus annis post Honorii mortem divulgata est, per Pyrrhum Sergii successorem, et secunda quadraginta posthac insuper annis, in ipso Concilio gen. VI, a. 680; (1) — nec — 3 — demùm *objecto*; quippe quæ non fidem nec etiam expressionem fidei injungunt; sed tantum, — ne scandalo et errori cuidam fictitio cujus metum Honorio incusserat versutus Sergius, locus detur, — *hortantur* ut absque *unius vel geminæ operationis* vocabulo dogma *duarum naturarum* in Christo *operantium* exponatur, quod cæteroquin et ipse Honorius illic extemplò ita exponere conatur (2).

(1) V. Colombier, art. cit., févr. 1870, p. 283; mars, p. 386. — Cfr Legrand: *De Incarnat.*, ap. Migne, *Theol.*, t. IX, p. 660; — ac præsertim Corgne: *Dissert. sur le Monothélisme et le VIº Conc.*, p. 122 et ss.

(2) V. utramque Honorii epistolam ap. Labbe, Mansi, Héfélé, vel etiam gallicè ap. Rohrbacher, *Hist. de l'Egl.* l. XLVIII, aut ap. Colombier, art. cit., févr. 1870, p. 272, 279. — Anne reverà Honorius in iis dogma satis exactè exposuerit?... Theologi communiter ex ipsâ Epistolarum inspectione affirmant, unà cum ipso Honorii secretario Joanne Sympono, et Papâ Joanne IV, et sancto Abbate Maximo. Attamen, juxta DD. Héfélé (*Hist. des Conciles*, t. IV, p. 30, 41, 51), Honorius, licèt rectè sentiens, dogma nonnisi malè exponere potuisset ob falsam loquendi regulam quam admisisse videretur (?..). Hoc autem parùm nostrâ refert, nec ideo discutere vacat; siquidem Honorius neque hunc neque illum injunxit loquendi modum, sed utrumque vitare tantummodò commendavit.

Et inde profectò fieri posset ut quis Patres Græcos Concilii C. P. magnæ severitatis argueret, imò et alicujus forsan æmulationis in Honorium quem ut *hæreticum* et *in omnibus Sergii mentem secutum* (γωρη εξακολουθησαντα) anathematizaverunt. Verùm tamen observandum est 1º Honorium reapse per illam inopportunam silentii œconomiam hæreseos propagationi favisse nescienter sed culpabiliter (cfr S. Sophronii querelas ad Stephanum Dorensem, ap. Rohrbacher loco cit.); — 2º è more tunc vigente, fautores hæreseum cum hæreticis ipsis indistinctè penè habitos fuisse et eisdem pœnis subjectos: V. leges Imperatorum ap. Legrand, op. cit., p. 664; — cfr et quonam modo à multis habiti sint Patres Ariminenses, de quibus infrâ; — cfr et ipsum Conc. gen. VIII, cit. ap. Colombier, 3º art. *in fine*. — 3º Demùm, si quid nimium in expressionibus Concilii videatur, eæ ad normam veri et æqui reducuntur à Pontifice romano in litteris approbationis et notificationis: sic, v.g., in epist. ad Imperatorem (V. ap. Mansi, t. XI, p. 731, in Græco): «... Honorium qui hanc apostolicam Ecclesiam non apostolicæ traditionis doctrinâ lustravit sed profanâ prodi-

4^o Nec immorabimur in discutiendis cæteris utpote minoris momenti exemplis quæ ab adversariis contra infallibilitatem papalem efferuntur, v. g., è bullis Nicolai III et Joannis XXII sibi, uti objicitur, mutuò contradicentibus circa paupertatem plùs minùsve absolutam tum religiosorum Franciscanorum, tum ipsius Christi et Apostolorum (1); — item ex *opinionè* ejusdem Joannis XXII circa dilationem visionis beaticæ (2), etc., etc. — De iis enim facilè possunt adiri varii auctores ac præcipuè historici ecclesiastici.

5^o De his autem quæ plures in Medio præsertim Ævo Pontifices egisse et docuisse incusantur, contra ea quæ, dogmatum instar, à multis apud nos non ita pridem tenebantur circa absolutam principum civilium independentiam et inviolabilitatem, vel hodièdum tenentur circa absolutam opinionum ac cultuum libertatem, cfr principia jam indicata in *Tr. de verà Relig.*, p. 132, *not.*; atque amplius evolvenda infra tum in Cap. III, art. II, tum in *Appendicibus* III et XII.

45. § II. — Plena potestas papalis.

Hanc Papæ plenam in regendâ Ecclesiâ potestatem ita nobis Catholicis Concilium Vaticanum describit ac definit:

« Docemus et declaramus, Ecclesiam romanam, dispo-
» nente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis
» obtinere principatum, et hanc romani Pontificis jurisdic-
» tionis potestatem, quæ verè episcopalis est, immediatam

tione immaculatam maculari permisit... (παρεχωρησε); » — in epist. ad episcopos Hispaniæ, « ut Christianis omnibus innotescat » (ibid. p. 1052): « ... Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed negligendo confovit... »; — item et in *professione fidei* Pontificum Rom. (ap. Migne, *Patr. lat.*, t. CV, p. 52): « ... Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit... » — Quibus tantummodò litteris, juxta principia, infra ubi de Conciliis tradenda, auctoritatem verè œcumenicam recipere potuit Concilium istud 169 episcoporum græcorum cum aliquibus tantum latinis. (Et cfr theologos Wirceburgenses: *Tr. de Verbo incarn.*, Dissert. II, s. III, a. 6).

(1) V. Blanc, *leg.* CXXXIX, n. 2.

(2) Id. ibid. n. 3.

» esse: erga quam cujusque ritus et dignitatis pastores
» atque fideles, tam seorsum singuli quàm simul omnes,
» officio hierarchicæ subordinationis, veræque obedi-
» tiæ obstringuntur, non solùm in rebus quæ ad fidem et
» mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen
» Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent.... »

Ac quibusdam exinde hujus supremæ potestatis consecrariis, de quibus infra, speciatim notatis, ita S. S. Concilium concludit:

« Si quis itaque dixerit romanum Pontificem habere
» tantummodò officium inspectionis vel directionis, non au-
» tem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in uni-
» versam Ecclesiam, non solùm in rebus, quæ ad fidem et
» mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen
» Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum ha-
» bere tantum potiores partes, non verò totam plenitudinem
» hujus supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non
» esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac singulas
» ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles;
» anathema sit. » (*Constit. de Eccl. Christi: Pastor æter-*
nus.... cap. III);

Illa verò omnia, quæ sic ad præcidendos varios erroris flexus (1) S. S. Concilium scitè congerit ac repetit, ad hæc, ut videre est, reduci possunt:

Papæ, scilicet, competit plenitudo auctoritatis non modò doctrinalis (ut in § præced. probatum est) ad docendam Ecclesiam, sed etiam legislativæ seu *disciplinariæ* ad eam regendam; et hæc quidem auctoritas est apud eum *ordinaria, immediata*, ac super *omnes et singulas* Ecclesiæ partes tum *distributivè*, tum etiam *collectivè* sumptas.

Quæ omnia cæteroquin è Prop. nostrâ circa Primatum

(1) Ad hos prænoscentos, itemque ad totam hujusce capituli apud S. S. Cone. Vatic. rationem intelligendam, operæ pretium erit legere artic. R. P. Gabr. Desjardins, ap. *Etudes des Jésuites*, févr. 1872.

jam per se sponte fluebant ac probari poterant; siquidem
 1° *Plenitudo* illa *auctoritatis* non doctrinalis modò sed et *disciplinaria* consequbatur ut suprà ostensum est (n. 37, p. 111), tum è necessitate semper adhærendi successori Petri utpote Centro Ecclesiæ, tum è generali potestate ligandi, pascendi, etc., ei utpote Ecclesiæ Capiti à Christo expressè concessâ (1). — Item simul è Traditione quam S. S. Concilium Florentinum, in totius Christianitatis nomine, resumit, ubi definit « *ipsi (Pontifici Romano) in B. Petro* » *pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam* » à D. N. Jesu-Christo *plenam potestatem traditam esse* » (suprà cit. p. 136, et à S. S. Conc. Vatic. memoratum in ipso suo Cap. III°).

2° — Illa verò plena potestas seu *jurisdictio* est apud Papam *ordinaria* (2), i. e., non *delegata*, nec *accidentalis*.

(1) Attamen, in hypothesi quâ Papa aliquid alicui præciperet quod contra jus naturale aut divinum videretur, tunc, ut ait cardin. Jacobatius (*Tr. de Concilio* l. VI, §. *Quando papæ non sit obediendum*; in *Apparatu ad concil.* Labbe t. II, p. 241), « si is cui præcipitur, habet conscientiam quod sit peccatum et injustum quod præcipitur, ... et non potest illam deponere nec se conformare cum conscientia Papæ, debet sequi conscientiam suam propriam et tolerare patienter si Papa eum puniat, » id est, « debet excommunicationem humiliter sustinere » (ut expressum habetur in capp. Decretalium ad quæ remittit : *Litteras tuas...*, de *restitut. spol.*; et *Inquisitioni...*, de *sent. excomm.*; l. II, tit. XIII, c. XIII; et l. V, tit. XXXIX, c. XLIV). — Cfr et J. à Turrecremata : *Summa ecclesiast.* l. II, c. XLIX; — et Bellarmin. : *De R. Pont.*, l. II, c. XXIX, 24; — etc. indic. ap. R. P. Newman in suâ *Resp. ad D. Gladstone* (de quâ V. *Etudes des Jês.*, févr. 1875). — Non enim absolutè repugnat Papam in his præceptis particularibus errare posse scienter vel inscienter : nec etiam repugnat aliquem injustè excommunicari posse; siquidem non inde tota dissolvitur Ecclesia (quod solum absolutè repugnat promissis Christi), nec ipse tunc, etsi reapse à Corpore Ecclesiæ separatus, à Deo separabitur (Cfr S. August. : *De verâ relig.*, c. VI, n. 11.) — Quomodo autem Papa, non secus ac ipsa Ecclesia, sit infallibilis in legibus disciplina generalibus, infrâ exponetur, Cap. III, art. I.

(2) Cfr jam Conc. gen. Lateranense IV : « Romana ecclesia., quæ, disponente Domino, super omnes alias *ordinariæ* potestatis obtinet

Non enim — 1 — ei delegatur sive à Principibus, sive à Multitudine fidelium, sive à Corpore Pastorum vel Episcoporum (ut in variis systematibus sub initio Cap. recensitis); nec etiam — 2 — ei è necessitate tantum circumstantiarum extraordinariè devolvitur (1). — Verum ipsi reapse competit è munere ipsius proprio ac permanenti; — etsi non semper et ubique omnia hujus auctoritatis munia ipse exerceat, sed tantummodò ubi pro locis et temporibus expedire judicat (2).

3° Illa etiam Papæ *jurisdictio* est *immediata*; i. e. exerceri potest à Papâ *immediatè* in quoscumque fideles. Etenim necesse est quidem ad bonum Ecclesiæ regimen Papæ consociari Pastores, ut ita dicam, intermedios, qui fidelibus per varias regiones distributis sint et ipsi ordinariè præpositi; et tales reverà ei, ex jure divino, consociati fuerunt in personâ Apostolorum ac dein Episcoporum, ut in art. seq. dicetur; sed — 1 — necesse est etiam illum, in regendo sicut et in docendo, ad greges ipsos *immediatè* pertingere posse per se vel per delegatos speciales, — prætermisiss, ubi id expedire judicaverit, intermediis ordina-

» principatum, utpote mater universorum Christifidelium et magistra. » (*Decret.* cap. V; ap. Mansi, t. XXII, p. 989.)

(1) Ita notatim Eybel : *Qu'est-ce que le Pape?* (Viennæ, 1782), contra quem Pii VI Breve : *Super soliditate...*, 28 nov. 1786. — (V. Picot. a. 1786).

(2) Quâ observatione concidere debent scrupuli, ut ita dicam, quibus torquentur Anglicani Puseystæ, ubi non deprehendunt semper et ubique eundem ac nunc fuisse S. Pontificis in variis rebus interventum. Quibus apprimè respondet Auctor eruditorum quorundam articularum in D. Pusey, ap. *Etudes des Jésuites* (P. de Buck), 3^e art. mars 1866, p. 386 : « Il » ne sert de rien de dire que le Pape n'a pas toujours exercé sa juridiction supérieure de la même manière, pour en conclure que les formes » diverses sous lesquelles il l'a exercée, ne sont que de droit ecclésiastique, qu'elles ne sont pas nécessaires, et que chacune de ces formes, » prise en particulier, pouvant disparaître, toutes peuvent disparaître sans » que l'Eglise souffre dans les éléments essentiels de sa constitution. C'est » comme si l'on disait : Cet arbre peut vivre sans avoir cette feuille ou » cette autre, donc il peut se passer de toutes ses feuilles, etc. »

riis. — Secus enim, ejus auctoritas pro libitu talis vel talis episcopi intercipi atque eludi posset. Et verò — 2 — ipse à Christo pastor constitutus est *agnorum* æquè ac *ovium* (Cfr suprâ p. 112). — Et quis ferat quod asserere non dubitârunt quidam inter Gallicanos provectiones, illum nempe non posse functiones pastorales respectu agnorum exercere absque ovium permissu, non posse, v. g., fidelibus alicujus diœceseos verbum vitæ vel sacramenta ministrare nisi ex episcopi diœcesani consensu; nec consequenter eos ab hujus jurisdictione sive ex toto sive ex parte exemptos facere; etc., etc. ?... (1)

Summatim igitur, — quidquid è contrâ quandoque in-

(1) V. quàm cautè quidem et timidè quoad expressiones, sed *factis* tamen nostram doctrinam contra Gallicanos sui temporis confirmat Thomasinus: *Anc. et now. Discipline de l'Egl.*, p. I, l. I, ch. vi. — Paulatim verò à supradictis Gallicanorum excessibus plurimi etiam Gallicani recedere cœperunt etiam quoad expressiones, et jurisdictionem Papæ *immediatam* ex professo ipsi adstruxerunt. Sic Regnier in *Tr. de Eccl.*; ap. Migne *Theol.* t. IV, p. 1050-1060. Supererat tamen, de facto, apud plurimos fideles modus quidam Papam considerandi atque habendi tanquam Superiorem quemdam remotum de quo vix quidquam audierant et cui non nisi mediantibus episcopis religabantur. Hinc planè facilius schismatis periculum (cfr Rohrbacher, l. XC, ubi de *Constitutione civili cleri gallic.*), maximè quùm et ipsi episcopi commercium cum Papâ satis rarum haberent (quâ de re V. querelas Fenelonii: *Dissert. de S. Pont. auctoritate*, cap. xl in fine). — Hodie verò quàm feliciter ille modus vivendi desierit, favente præsertim longo ac mirabili nostri SS. Pii IX pontificatu, et quàm communi cum ipso vitâ et pastores et fideles certatim cœperint vivere, dolere, exultare, nemo non videt. — Quod utique Deus conservet ac promoveat! Neque sanè ex hoc timendum est ne in corde fidelium minuatür proprii cujusque episcopi reverentia et amor, quùm profectò nemo Papam potest verè venerari ac diligere quin episcopos ab eo institutos veneretur quoque ac diligat, sicut observat ipsum S. S. Conc. Vatic., loco cit.: « Tantùm autem abest ut... etc..., secundùm illud S. Greg. Magni: » Meus honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego verè honoratus sum cum singulis quibusque que honor debitus non negatur. » (Legatur, ad calcem, *Constit. de Eccl.* » c. III).

sinuaverint Gallicani (1). — Papæ jurisdictione in omnes Christianos est *verè episcopalis*; et ipse proindè omnium Christianorum, quemadmodum unusquisque episcopus suorum diœcesanorum, est verè *episcopus proprius* seu, ut in jure dicit solet, *Ordinarius* (2).

4º Et illa quidem Papæ plena, ordinaria ac immediata potestas disciplinaria extenditur, de jure, (quidquid, de facto, interdùm remittat) super omnes *distributivè* Ecclesiæ partes ac singulos sive Pastores sive Fideles, *cujusque ritus et dignitatis*; — uti exprimere debuit S. S. Concilium contrâ quorundam Orientalium prætentiones. — Nec enim per institutionem variorum rituum ac dignitatum, quæ est è jure ecclesiastico, solvi potuit Ecclesiæ sub uno summo Pastore unitas, quæ est è jure divino.

5º Nec tantùm distributivè sed et *collectivè* super omnes

(1) Sic, v. g., Tamburini, et alii post eum, Papæ jurisdictionem extrâ romanam diœcesim, *primatiale* non autem episcopalem esse dixerunt (V. art. suprâ cit. ap. *Etudes des Jés.*, p. 169). — Sic et antiqui nonnulli, quos ipse Gerson respuerat (Opp., t. II, p. 384), Papam nolebant vocari « sponsum Ecclesiæ universalis, sed solius romanæ »: et ita adhuc Baluzius (in *notis* ad S. Cyprian. *Tr. de unit. eccl.*, n. vi; ap. Migne *Patr. lat.* t. IV, p. 502), eo quòd unus sit Ecclesiæ sponus Christus. — Quidni et parili ratione Papam renuant vocare Ecclesiæ universalis fundamentum et caput?... Tunc planè loquentur ut Protestantés.

(2) Pernotum est tamen quomodò Pontifices romani titulum *Episcopi universalis* seu *œcumenici* sibi pluriès etiamque in Concilio generali Chalcedonensi attributum generatim repulerunt, — tum modestiæ causâ et ad retundendum efficacius Patriarcharum C. P. jactantiam, qui titulum hujusmodi, licèt minimè sibi debitum, usurpabant (V. Blanc, *lec. LXXVII*; Palma, t. II, p. I, ch. viii; Wouters, t. II, Diss. XL), — tum etiam fraternitatis causâ, ne aliorum qui proprii quoque existunt suorum quique gregum episcopi, cœpiscopalem dignitatem obfuscare et annihilare viderentur, ut observat S. Gregorius M. (in *Epistola* 30, l. VIII, à Concilio Vatic. citatâ), qui extunc ipse, cum successoribus suis, non meliùs duxit significandum sese omnium Christianorum Episcopum quam semetipsum dicendo *Servum servorum Dei*. — Cfr et S. Leon. IX *epist.* 102, ad Michaellem C. P.; — et in totam hanc rem V. Christian. Lupum: S. Gregorii VII *dictatus*; Opp., t. V., vel ap. Rocaberti, t. VI).

etiam simul ecclesias, omnes etiam simul tum Pastores tum Fideles, extenditur illa supradicta Potestas papalis, — quidquid olim nostri contradixerint Gallicani (1) — Secus enim, non esset *plena*, nec dici posset simpliciter super *universalem Ecclesiam*, qualis supra probata est et jam definita fuerat à Concilio Florentino (2).

Et sic completus apparet status Ecclesiae simpliciter *monarchicus* (V. supra, p. 90). (3)

46. — Indicantur quaedam Plenae Potestatis papalis applicationes — 1° quoad *leges*, — 2° quoad legum *dispensationes* vel *abrogationes*, — 3° quoad *judicia* in causis ecclesiasticis, — 4° quoad caeterorum Pastorum *instituti-*

(1) V. v. g., libellum Joannis, doctoris Paris. et patriarchae Antiocheni titularis, ap. concil. Basilense (Labbe t. XII, p. 911; Mansi, t. XXIX, p. 512), in quod cfr Rohrbacher, l. LXXXII, circa Sess. 18^{am}. — V. etiam Gerson et Richer cit. ap. D. Puyol: *Edm. Richer...*, t. I, p. 502. — In quos omnes cfr Bouix: *De Papá*; cfr t. II, p. 564.

(2) Hæc de ratione veteres Gallicani œcumenicitatem illius Concilii agnoscere renuebant usquedum putaverint sese ab illius definitione forsitan expedire posse per subtilitatem quamdam grammaticalem super *quemadmodum...* (V. supra, p. 137; et cfr Nat. Alexandrum, loco illic indic., § VI; t. XVIII, ed. 1790, p. 609). — Ista verò tricas Concilium Vaticanum conceptis verbis, ut videre est jam resequit.

(3) Hic tamen observare est statum Ecclesiae, etsi *simpliciter monarchicum*, non tamen dici posse *despoticum* nec etiam vulgari sensu *absolutum*. Illa enim tantum monarchia dici solet despotica vel etiam absoluta, in qua Monarcha omnes quascumque leges ad arbitrium mutare potest. Atqui multum abest quin talis sit monarchia ecclesiastica. Papa enim, etsi nihil non possit (siculi mox dicetur) in iis quae sunt de jure ecclesiastico, nil tamen mutare potest in iis quae sunt de jure divino: sic non posset, v. g., abolere in Ecclesia papatum vel episcopatum (V. Bouix: *De Episc.* t. I, p. 108: *Prop. VI*), ritus institutionis divinae in sacramentis mutare, etc., etc.; et aliunde, eo ipso quod est infallibilis, nunquam quid simile attentabit. — Huc cfr episcoporum Germanorum protestationem ad Pr. de Bismarck, jan. 1875 (ap. *Annales cathol.*, ibi., p. 414). — V. etiam Bellarmin.: *De R. Pont.*, l. I, c. v, n. 3; — Andr. Duval: *De supr. R. Pont. auctor.* P. I, q. II, § II (p. 20 ed. Puyol).

tionem, depositionem, etc. — Patet nempe ex dictis quod 1° *Lex* pro tota Ecclesia potest quidem ferri à S. Pontifice, etiam absque Episcoporum consensu, non autem vice versa ab Episcopis absque consensu S. Pontificis. — Et certè quomodo lex diceretur totius Ecclesiae, quae facta fuisset absque Capitis participatione? — Cfr infra dicenda de *Confirmatione Conciliorum*.

2° Ipse potest à legibus etiam per Episcopos latis et per se confirmatis *dispensare* (1); imò potest eas *abrogare*, prout expedire judicaverit. — Et verò, secus non posset provideri plerumque, prout opus est, bono Ecclesiae.

3° Potest ad suum tribunal ecclesiasticas *reservare* vel *evocare causas* (2), ac praesertim *suscipere*, eo quo voluerit modo, *appellationes* à caeterorum Pastorum judiciis, et eas judicare. Et istud jus, quod speciatim innumeris in antiquitate confirmatur exemplis, ad summum Pontificem pertinet non tantum de jure ecclesiastico per Concilii Sardicensis canones inducto, uti quidam somniarunt (3), verum *de jure divino* utpote muneri suo essenziale. Unde S. S. Con-

(1) Imò adnotare est S. Pontificem ita dispensare posse etiamsi in ipsa lege statutum fuisset nullam de eà dispensationem concedendam fore. Potest enim Pontifex idem quod potuisset Concilium, maximè quum talis prohibitio neque à Concilio neque à Pontifice ita certè statui potuerit ut contra jus naturale boni publici praevaleret, quod semper exigere potest ut aliqua dispensatio concedatur. V. exemplum in lege circa impedimentum quoddam matrimonii, ap. Pallavicinum: *Hist. Conc. Trid.*, l. XXIII, c. VIII, n. 11.

(2) V. Regnier: *De Eccl.*, ap. Migne. *Theol.*, t. IV, p. 909.

(3) Ita vel inter Catholicos, in xvii^o saec., Petrus de Marca, etc., quos praecipue confutavit Christian. Lupus, *de appellationibus* è diversis regionibus in antiqua Ecclesia copiosè tractans. V. et brevius Regnier, ap. Migne *Theol.*, t. IV, p. 914-979; ubi canones Sardicensis cit. p. 928; de iis etiam V. Blanc, leç. L, 3. — Et certè, uti Alex. PP. III Ludovicum VII Franciae regem monitum volebat, « dignitas Apostolicae Sedis » in appellationibus, ex majori parte, consistit. » (*Epist. MDCCXXXI*, a. 1176; ap. Migne *Patr. lat.*, t. CC, p. 1061; cfr Jager, t. VIII, p. 256).

cilium Vaticanum (cap. cit.) «... Et quoniam divino apos-
» tolici primatus jure romanus Pontifex universæ Eccle-
» siæ præest, docemus etiam et declaramus eum esse ju-
» dicem supremum Fidelium (Pii PP. VI Breve, « Super
» soliditate, » d. 28 nov. 1876), et in omnibus causis ad exa-
» men ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium
» recurri (Conc. œcum. Lugdun. II) » (1).

(1) Non mirum tamen si hujus præsertim juris exercitium multum pro temporibus et locis variaverit, aut episcopi quarundam regionum interdum conati sint istas appellationes restringere, nec semper cum romano Pontifice circa modum in iis servandum omnino consenserint. Jam aliquid hujusmodi advertere est apud Ecclesiam Africanam, tempore S. Cypriani, in causâ *Fortunati* pseudo-episcopi (V. DD. Freppel : S. *Cyprien*, p. 302 ; ap. Migne *Patr. lat.*, t. III, p. 1078) ; rursus autem et magis apertè, v^o sæculo, in causâ *Apiarii*, (Blanc : leç. LXIII, n. 1), cujus hæc est summa :

Apiarius presbyter primùm in Africâ ob crimina excommunicatus ad Papam appellavit, et, Papâ procurante, restitutus est, a. 419, ab Episcopis africanis licet satis invitis, quippe qui jam statuerant, hujus occasione, a. 418, « ut presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici..... si ab » episcopis suis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africanam » concilia vel ad primates provinciarum suarum ; ad transmarinam autem » qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem sus- » cipiatur. » (Ap. Hardouin, *Concil.*, t. I, p. 934). — Exinde autem Apiarius ob nova crimina denuò excommunicatus, denuò appellavit et restitui jussus est ; sed quum ab episcopis pressus, crimina quæ celaverat ; tandem confessus est, non restitutus est ; atque episcopi ad Papam tunc temporis scripserunt, illum « impediò deprecantes ut deinceps ad ipsius aures ex Africâ venientes non *facilius* admitteret, nec ab illis excommunicatos in communionem ultrâ vellet excipere. » (V. ap. Constant., *Epist. rom. Pontif.*, p. 1060). Quibus in litteris, non jus detrectant, sed omnia ejusmodi appellationum pericula et scandala exponunt ; atque eo quidem fidentiùs quòd canones Sardicenses à Papâ præcedenter allegatos tanquam è Nicæno Concilio, cui nempe adnecti solebant tanquam complementum, ipsi non in suis exemplaribus repererant, ideoque Nicænum Concilium totum sibi favere existimabant (Hæc amplius disputata V. ap. Regnier, loc. cit., p. 935-948 ; præsertimque à Ballerini : *Observationes*, etc., inter opp. S. Leonis : *Patrol. Migne*, t. LV, p. 565 et s. — V. etiam Rohrbacher : *Hist. de l'Egl.*, l. XXXVIII. — Quid autem inde contra nostram thesim ? et quomodo, præsertim, D. Pusey concludere possit « non Angliam ab Epis-

4^o Ipsius est cæteros Pastores, — atque imprimis Episcopos, *instituere* vel instituendi morem permittere. Potest eosdem et *deponere* saltem, ubi bono Ecclesiæ id expedire judicaverit (1). Neque enim ipse Ecclesiæ Centrum et Caput esse posset, nec certè plenâ potestate in eâ gauderet, si quis aliquam auctoritatis ecclesiasticæ partem accipere, exercere ac retinere valeret, *præter ejus consensum saltem implicitum* (prout infrâ exponetur). (2) — Hinc etiam ipsius

copo romano magis independentem nunc se gerere quàm Africa se etiam gessit, S. Augustini tempore ? » (*Irenicon.*, p. 66, cit. ap. D. J. Gondon : *De la réunion de l'Egl. d'Angleterre*, p. 249). — Atque observandum iusuper quòd Africani præsules, etsi presbyterorum et clericorum inferiorum appellationes *ad transmarinam* impedire tentaverint, non ita tamen impedire tentarunt appellationes episcoporum (ut constat, v. g., exemplo Antonii Fussalensis ; V. auctores cit., et S. August. *Epist.* 209) : quas certè Ecclesia Anglicana hodierna minimè permittit.

Nec magis proficient adversarii è contentione, quam aliquando etiam alegant, S. *Hilarii Arelatensis* cum S. Leone Papâ circa Celidonium, episcopum Bisuntinum (V. Blanc : l. LXV, n. 2) ; in quam V. Ballerini in *Dissert.* modò cit., vel etiam Gorini, *Def. de l'Egl.*, t. I, c. V).

Et quidem in appellationibus ad S. Sedem abusus facillè irrepere posset et quibusdam reverà temporibus irrepsit (V. S. Bernard. : *De consideratione*, l. III, c. 1). Ideoque sæpe, speciàtimque in recentioribus sæculis, cautum est etiam ab ipsis S. Pontificibus ne ad ipsorum summum tribunal appellationes ferrentur nimis frequentes. Neque igitur sanè timendum est, uti etiam anglicani Puseystæ timere affectant, ne ex iis appellationibus totus Ecclesiæ ordo turbetur. V. quæ eruditè in id habentur, ap. *Etudes des R. P. Jésuites*, art. cit., mars 1866, p. 388.

(1) Maximum quàm hùc usque hujusce potestatis exercitium factum est à Pio VII in Galliâ post Concordatum a. 1801 (V. Blanc, leç. CII, n. 1, 6 — cfr Bouix : *De Episc.*, t. I, p. 361, 364).

(2) « Plenitudo siquidem potestatis, inquit S. Bernardus, super uni- » versas orbis ecclesias singulari prærogativâ apostolicæ Sedi donata est. » Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si » utile judicaverit, novos ordinare episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. » Potest eos qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi » dictaverit, ita ut de episcopis creare archiepiscopos liceat, et è con- » verso si necesse visum fuerit. Potest à finibus terræ sublimes quascum- » que personas ecclesiasticas evocare et cogere ad suam præsentiam, non

est singulis assignare gregem, delimitare ac dividere dioceses, eximere quos voluerit et in quibus voluerit, à jurisdictione *Ordinarii*, quædam sibi reservare (1), etc., etc.

Summatim, uti jam fatebatur Bossuet, in ipsâ *Defensione Declarationis Cleri gallicani* (L. XI, c. XX) : « Concedimus, in jure quidem ecclesiastico, *Papam nihil non posse cum necessitas id postulârit* ».

Et quidem non inde concludendum est S. Pontificorum Deo licere ut præter canones, absque ratione, agat; sed tantum ipsi licere eos prætergredi ubi aderit necessitas, cujus ipse iudex est, nec nisi Deo rationem debet (2).

» semel aut bis, sed quoties expedire videbit. Etc. » (*Epist. 131, ad Mediolanenses.*)

(1) Quod quotiesque facere non posset salvâ necessariâ episcopatus essentiâ, vix quaquàm determinari potest; sed ipse certè iudex est: unde *Bulla Auctorem fidei...* contra Synodum Pistoïensem (V. suprâ p. 87) ita habet:

«... VII : (Doctrina Synodi) in eo quòd hortatur episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticæ disciplinæ constitutionem*; idque *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quæ adversantur bono ordini diocesis, majori gloriæ Dei, et majori ædificationi fidelium*; — per id quòd supponit, episcopo fas esse proprio suo iudicio et arbitrato statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universâ Ecclesiâ, sive etiam in unâquâque provinciâ locum habent, sive veniâ et interventu superioris hierarchicæ potestatis, à quâ inductæ sunt aut probatæ et vim legis obtinent: — inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

» VIII: Item, quod et sibi persuasum esse ait, *jura episcopi à Jesu Christo accepta pro gubernandâ Ecclesiâ nec alterari nec impediri posse, et ubi contigerit horum jurium exercitium quâvis de causâ fuisse interruptum, posse semper episcopum ac debere in originalia sua jura regredi, quotiescumque id exigit majus bonum suæ ecclesiæ*; — in eo quòd innuit jurium episcopatum exercitium nullâ superiori potestate præpediri aut coerceri posse, quancumque episcopus proprio iudicio censuerit minùs id expedire majori bono suæ ecclesiæ: — inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea. »

(Huc cfr ea quæ sapienter scribebat D. Emery ad DD. Rousseau, episc. Aurelian: *Vie de M. Emery*, T. II, p. 225).

(2) Ita certè S. Damasus (*Epist. ad Aurel. Carthag.*): « Norma sancto-

47. — Observatio circa tendentias, ut aiunt, ultramon-tanas vel gallicanas : — Ex hùc usque dictis evidenter sequitur quòd Papæ imperanti nequaquam possunt pertinaciter opponi nec certè apud Catholicos deinceps opponentur, leges vel consuetudines locales, cujuscumque originis habeantur, quas non ita pridem in Ecclesiâ gallicanâ *libertates* nuncupare assueverant (1). Verisimiliter duæ

» rum Canonum qui sunt Spiritu Dei conditi et totius mundi reverentiâ
» consecrati, fideliter à nobis est scienda et diligenter tractanda, ne quovis
» modo sanctorum Patrum statuta, *absque inevitabili necessitate*, quod
» absit, transgrediantur. » — Cui manifestè alludebat art. III^{us} Declarationis Cleri gallicani dum assereret : « Apostolicæ potestatis usum modè-
» randum esse per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentiâ
» consecratos, etc... » — Quid autem? An casum exceptionis, pro necessitate, admittebat, nec ne?.. Si non admittebat, ex ipso Bossuetii principio modò cit. falsus erat; si autem admittebat, inutilis erat, quum à nemine id quod assererat negaretur; at non erat sine suspitione injuriæ erga S. Pontificem. (In hoc V. Card. Litta; *Lettres sur les 4 articles*; Lettre XVIII).

Et certè ex hoc articulo juxta pejorem sensum intellecto (sicut è suâ connexionem cum artic. præced. pronum monstramus esse in nostrâ *Append. IV^a*) exortum est contra Pium VII schisma Anti-concordatariorum seu gallicè, *de la Petite Eglise* (V. Blanc : l. CCH, 6, et CCIV, 12), cujus nonnulla adhuc in diocesi Pictaviensi vestigia superesse dicuntur.

(1) Hoc adeo celebre nomen *libertatum ecclesiæ gallicanæ* quasi triplicem successivè induit sensum prout adnotat peritè D. Gérin (*Recherches histor. sur l'Assemblée de 1682*, p. 16). Primum nempe significavit immunitates ecclesiis à regibus concessas contra regios ipsos ministros (ita primum in statuto S. Ludovici IX, a. 1228); — postea verò, consuetudines et immunitates quas, tempore Magni in Occidente Schismatis, Clerus, protegente gubernio, sibi servare intendebat contra Paparum contententium exactiones: — inde verò paulatim significare etiam cœpit usurpationes omnimodas quas ministri regii jam non in S. Pontificem solum sed et in ipsum Clerum attentabant consequenter ad principia *gallicanismi parlamentarii* infrâ, in cap. III art. 2^{do}, confutanda. Unde jam libertates hujusmodi rectè dici potuerunt « *libertés à l'égard du pape, servitudes envers le roi* » (Fénelon : *Plans de gouvernement*, art. II, § 3; et cfr ipsum Fleury : *Opuscules*, edit. Emery, cit. ap. Gérin, loco indic.; Blanc, leç. CLXXXI, 5; Migne *Theol.*, t. V, p. 1169; nec non, è Protestantibus,

remanebunt diversæ, ut fert natura humana, animorum dispositiones, una quidem promptior in unitatem omnimodam procurandam, altera verò in usibus localibus defendendis tenacior; nec jam certè alio sensu supererunt illæ olim adeò jactatæ *Ultramontanorum* et *Gallicanorum* denominationes, quæ nempe diversas non jam exprimere habent doctrinas sed tantummodò *tendentias*, ut ita dicam, practicas. De quibus porrò duo solummodò hic observari volumus, scilicet :

1° In veritate, ante omnia, utrinque standum est; atque, insuper, in id etiam quod reverà melius est, nonnisi prudenter ponderatèque grassandum. — « Non eget Petrus » mendacio nostro, nostrà adulatione non eget » (1).

Sismondi cit. ap. Rohrbacher, LXXVII circa med., vel ap. Gosselin : *Pou du Pape...* p. 373). Imò et ipsi Gallicani distinguere cœperunt inter libertates ab ecclesiasticis viris admissas et libertates à magistratibus vindicatas (Bossuet : *Lettre 91 au card. d'Estrées*, et *Or. fun. de Le Tellier*). Priores Fleury dinumerabat 13, quæ præcipuè spectabant — ad repellendum tribunal Inquisitionis (non quidem, ut multi hodie sibi fingunt, *tolerantiæ* causâ, sed ne potestati episcoporum ipsiusque regis per hoc detraheretur); — ad subjiciendum examini Bullas pontificias; — ad limitandum jus dispensationis, evocationis, etc.; — ad quæstiones beneficiales componendas, etc., etc. (*Opuscula* suprâ cit. : *Disc. sur les lib. de l'Egl. gallic.*, n. 25). — Posteriores verò Petrus Pithou collegerat ad numerum 83, quas V. rejectas à Bossuet : *Def. declarat.*, l. XI, c. xx; et cfr gravem censuram episcoporum Galliæ in *Probationes earundem libertatum* à FF. Dupuy (ap. Migne, t. V, p. 1169; vel ap. Rohrbacher : *Hist. de l'Egl.*, l. LXXVII, § V, versùs init.). Hanc tamen antiquatam suppellectilem renovare sategerat D. Dupin in suo *Manuel du droit public ecclésiastique français* (1844), quem V. damnatum confutatumque à Card. de Bonald : *Mandement du 21 nov. 1844*, reprod. ap. *l'Univers*, 12 févr. 1845. Item inde videre est eundem Dupin facetè exagitatum in libellis : *Oui et non; — Feu! Feu!....*, à D. de Cormenin, qui appositè prorsùs ita concludebat :

« Aujourd'hui, l'ultramontanisme est un retour au catholicisme. Aujourd'hui le gallicanisme est du schisme en herbe. » (*Feu! Feu!* p. 33).

(1) Melchior Canus : *De locis theol.*, l. V, c. v, versùs finem; ap. Migne, *Theol.*, t. I, p. 392.

2° Hoc autem posito, agnoscendum est *ultramontanum*, ut aiunt, animum, qui nempe in conformitatem cum Ecclesiâ romanâ quàm maximam in omnibus tendit, etiamsi possit et ipse impingere in quosdam excessus, nunquam tamen in graviter periculosos; dum *gallicanus* animus in contrarium obversus, semper ante se habet schismatis et hæreseos periculum, iis præsertim temporibus in quibus tum scientia theologica, tum ipsa fides christiana non apud multos satis clara firmaque reperitur (1).

Quæ sanè semper ante oculos in dubiis practicis habenda ac meditanda juvenibus præsertim suademus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EPISCOPIS.

§ I : *De divinâ Episcoporum institutione ac superioritate supra Presbyteros etiam Curatos.* — 48 — Prop. : *Præter S. Pontificem, existunt, è jure divino, in Ecclesiâ Pastores, qui cum illo ac sub illo doceant ac regant fideles; — et hi Pastores sunt ii soli qui vocantur hodie Episcopi.* — 1^a Pars ex Evangelio monstratur; — 49-51 — 2^{da} Pars *historicè* exponitur, scil. : I Pastorum institutio evolvitur, et Episcoporum ac simplicium Presbyterorum distinctio inducitur; — II Introducuntur etiam pastores 2^{di} ordinis seu Parochi; — III Nunquam tamen presbyteri etiam Parochi facti sunt auctoritatis doctrinalis vel legislativæ in Ecclesiâ plenè participes.

§ II : *De indefectibili Episcoporum unione cum Papâ.* — **32 — Prop. : *Quovis tempore, major numerus Episcoporum tunc in Ecclesiâ existentium perstabit in docendâ infallibiliter verâ doctrinâ Christi, unâ cum Papâ et dependenter à Papâ.* — **33 — Observationes.

§ III : *De conciliis.* — 54 — Quid sit *concilium* in genere? Quid speciatim *Concilium generale* seu *œcumenicum*? — Conciliorum ratio. — 55 — Conciliorum generalium auctoritas et conditiones. — **56 — Observatio circa veterem de Papæ vel Concilii superioritate quæstionem.

Manifestum est, vel ex ipsâ ratione, quòd Papæ, suppremo Ecclesiæ Pastori, quem à Christo institutum suprâ

(1) Hinc, sub initio hujusæ sæculi, DD. Frayssinous, licet ipse Gallicanorum partibus addictus, laicis quibusdam juvenibus ita consilium dabat :